



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Tempus breve.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

erari veniam, & gratiam, & gloriam. O si talis mercantia ad infernum portaretur, solum tempus dimidiæ horæ ad pœnitendum; emerent illud pro mille Mundis, si possent. *Veniam ad te tanquam fur*, ait Dominus Apoc. 3.3. Fur ad hoc venit, ut thesaurum indiligenter custoditum tollat. Thesaurus utique indiligenter custoditus est pretiosissimum tempus: quod meritò Dominus peccatori tollit, qui malè vivendo in lucro non ponit. S. Bernardinus t. 1. l. 13. Art. 3.

§. XIII.

Tempus breve.

TITULUS. V.

TENTATIONES.

§. I.

Symbola.

S*I ambulavero in medio umbrae mortis.*

Pl. 22.4. Medium umbrae mortis agnoscimus vitam tentationis. S. Chrysof. hic.

Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquae &c. Plal. 68. 2. Hac est deprecatio pœnitentis, vel tentati; loquentis ad modum naufragantium, quorum navis rupta est, & impletur aqua: tunc deprecatur Deum, ut salvas possint facere animas suas tantum, id est, vivi possint evadere. Hugo Card. hic.

Ventus turbinis veniebat ab Aquilone.

Ezech. 1.4. Ventus turbinis ab Aquilone venit, quando frigidus à charitate Dei diabolus flavit; & turbine tentationis genus humanum in primis parentibus à beatitudinis statu deiecit. S. Rupertus c. 3. in Ezech.

Motus magnus factus est in mari. Matth.

8.24. Tempestas etiam oritur Apostolis: quia sine tentatione esse nemo potest. S. Ambros. l. 6. in Luc. 2.

Quotiescunque in tentationem incidis; scito malleum diaboli esse. Origenes hom. 3. in Jerem.

Quasi quaedam vestis animæ, caro est. Sed hæc nimirum vestis habet tineam suam: quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur. S. Gregor. mor. l. 5. c. 29.

Quid est Mundus iste, nisi quidam spiritualis venationis locus? in quo tot tenduntur laquei, quot immittuntur tentationes, seu ad delinquendum hominibus emergunt causæ. S. Laurent. Just. l. de cont. Mundi. c. 18.

Quælibet tentatio, nuntius est Infernalis inimici; qui nos requirit ad ei consentiendum: & ut omnia nostra perdat, ac rumpat, fidelitatem suam, quam Deo, & Domino suo debet, & sponso. Et secundum quod Anima resistit plus, aut minus; secundum hoc custodit illa melius, aut pejus, fidelitatem, & gratiam sponsi sui, Gerfon. de differ. peccator. mort. & venial.

Primo mane - circa horam tertiam.

Matth 20 1.3. Dies hujus sæculi spatium est: qui quidem dies nobis longus videtur; sed, si cum æternitate Dei conferatur, est brevissimus. Origenes hom. 10. in Matth.

Uniuscujusque hominis vita quanta est? adde quantoslibet annos; duc longissimam senectutem; quid est? nonne aura matutina? August. conc. primâ de prima parte Pl. 36.

Æternitatis comparata brevis est omnium temporum longitudo. S. Hieron. ep. 139. Cypriano.

Dies horarum, septimanæ dierum, menses septimasarum, anni mensium, labuntur instar. B. Theodorus Studias. 120.

§. II.

*Tentationum utilitas.**Symbola.*

P*rofectique de Mara venerunt in Elim.*

Num. 33.9. ubi erant duodecim fontes aquarum, & palma septuaginta. Mara interpretatur amaritudo. Vides, post tentationis amaritudinem, ad quantam deveniunt & dulcium pomorum, & aquarum profluentium, amœnitatem? Per tentationis itaque pugnam perducuntur ad palmas; & per fitis intolerandæ penuriam ad irriguam veniunt aquarum viventium affluentiam. B. Petrus Dam. lib. 2. ep. 7.

Dabit pro terra silicem. Job. 22. 24. Terra peccator est, Pl. 1.4. *tanquam pulvis*, quam dæmon huc illucque, jactat: cum justus efficitur, si lex est: ictus scintillas producit. Tentatus Deum invocat, coelum suspirat, proponit, &c. Olorius D. 3. Epiph.

Surge Aquilo &c. Cant. 4. 16. Volo permittere, quod surgant diversa genera tentationum, & perflect, id est, stimulent, hortum meum, id est sponsam meam; & fluent aromata illius, Quia per tales stimulationes tu mereberis, & redolabis congruè modò. Aquilo enim est ventus frigidus; aufter verò est ventus calidus: & significant omnia genera tentationum; & omnia, quæ possunt inclinare ad malum. Quia quicumque malè agit; vel hoc facit ex timore infrigidante, vel ex amore malè inflammante. S. Thom. Aqu. hic Lect. 2.

Ortò sole astuaverunt. Matth. 13. 6. Per solem orientem intellige tentationes: eò quòd tentatio ostendit homines, & declarat, quales sunt: sicut sol manifestat abscondita. Theophylactus hic.

Sicut caro, quamvis præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrumpitur: ita & anima; quantumvis perfecta, nisi assiduis saliatu tentationibus, relaxatur. S. Ambros. tr. de 42. mans. fil. lfr. Decima octava mansio,

Testi.